



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Florianus M. 4. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

4. Maii. VITÆ SANCTORUM. 285
*ledictionis absolvi, & plenam nosse gra-
tia benedictionem consequi, Crucem dili-
gat, ex qua omnis plenitudo benedictionis
emanat; per Crucem se Dei mandatis a-
stringat; per Crucem effrenis Carnis incen-
tiva cohibeat. S.P. Dam. de Invent. Cruc.*

S. FLORIANUS M. 4. Maii.

FLORIANUM, quem adversus ig-
nium injurias patronum invocamus,
aquæ ad Superos transmiserunt. Diocle-
tiano Cæsare, in Norico Ripario Tribu-
nus militaris agebat, cum institutâ de
Christianis quæstione, nomen suum ul-
trò detulit. Aquilinus loci præfectus fu-
stuario primùm ejus constantiam tenta-
vit; deinde ubi Christi nomen extundi
ei posse desperavit, in Anassum flumen
præcipitem egit. Impii mandati obe-
dientiam carnifex repentinâ cecitate
luit. Corpus exanime appulsum in sco-
pulos aquila tutata est, Iovis olim, nunc
FLORIANI satelles. Ipse Valeriam re-
ligiosam feminam ad justa persolvenda
corpori suo excitavit, & pietati merce-
dem persolvit, salubrium aquarum sca-
turigine, quas ægris bibisse profuit.
Igne periclitantibus propitium esse pri-
mus omnium carbonarius experimento
didicit; suis, quas ipse sufflaverat, invo-
lutus flammis FLORIANUM appella-
vit, & integro corpore à rogo emerfit.
Beneficium luculentius fuit, quàm ut il-
lud

286 VITÆ SANCTORUM. 4. Maii.
Iud obscurare invidia vel oblivio posset.
Inde posteris quoque mos traditus est
FLORIANI imaginem cum urnâ aqua-
riâ in fronte ædium dedicandi. Vos illam,
ô juvenes, etiam animis tutelam adsci-
scite, adversus multò tristiora incendia,
quibus libido faces subdit, & perenne
pabulum omnes corporis sensus subve-
hant. Lingua, manus, aures, oculi,
fatendum est, incendiarii sunt animæ.
Ex Surio.

*O Ignis infernalis luxuria, cujus mate-
ria gula, cujus flamma superbia, cujus
scintilla prava colloquia, cujus fumus in-
famia, cujus cinis immunditia, cujus finis
gehenna. S. Hieron. in Ep.*

S. PELAGIA V. & M. 4. Maii.

PELAGIUM Tharsensem Diocletiani
Deique filium sponsam ambierunt, il-
li corporis, hic animi pulchritudine cap-
tus. Respuit mortalem proeum Virgo,
& caeleste conjugium præoptavit. Pa-
ranymphus Clino fuit Episcopus, quem
divinitus sibi ostensum inter montium
latebras reperit, ubi edocta est, qualis
dos afferenda ad sponsum esset. Ea uno
verbo innocentia appellatur, quam bea-
ti Genii domum PELAGIA tulere, cum
lustrico fonte, qui ad Clinonis preces e-
ripse profluxit, tingeretur. Augusta præ-
terea Virgo duplici diademate cincta,
MC